

§. III.

Præjudicia practica circa *beatitudinem æternam* eo redeunt, quod homines

1. *optent & expetant cælum, in quo omnibus voluptatum generibus recreentur & delectentur, e.g. laute cœnent, bibant, commode saltent, otientur &c. sed vide Rom. XV, 17.*
2. *Verum cæli gaudium non magni aestiment, cum quippe in visione Dei, celebratione, adoratione & cultu ipsius &c. illud consistere doceatur. Cujus rei itaque cum verum sensum non habeant, neque satis intelligant, quid visio Dei beatifica importet, multo minus autem videant quomodo hoc ad expletionem voluptatum, quas sibi optant & expectant, facere possit, & ipsis cultus Dei jam in hac vita tædio fuerit; non est mirum, ipsos gaudio cœlesti non delectari. Iphis vero suaserim, ut respiciant ad effatum Pauli I. Cor. II, 11. Conf. Matth. V, 8. & locum de Beat. Æt. Compendii Theol. Pos. Bajeri §. II. item Proleg. cap. I. §. IV.*
3. *Facili negotio cælum obtineri posse credant, etiamsi vitam agant non satis probatam. Aliter vero nos informat Christus Matth. VII, 13. 14. 21. Matth. V, 8. & Spiritus S. Eph. V, v. 5. 6. Gal. V, 21. Apoc. XXI, 27.*
4. *Putent, si hic vel iste, qui tamen ipsis multo pejorem vitam agit, sperat æternam consequi beatitudinem, nec ipsis desperandum esse. Nixi vero maxime incerto & lubrico fundamento misere decipiuntur. Conf. Matth. VII, 13. Luc. VI, 39.*
5. *Sibi persuadeant, Deum tamen ex gratia, cum mereri non possint, ipsis daturum esse beatitudinem æternam. Sed quamvis cælum non mereri, illud tamen etiam non nisi secundum ordinem a Deo constitutum consequi possumus. Conf. Ebr. XI, 6. XII, 14. Matth. VII, 21.*

§. IV.